

**434. VII.** De loco quo ordines sint conferendi, haec sunt tenenda :  
1º Tonsura et minores ordines quocumque loco conferri possunt.  
(Pont. Rom.)

2º Ordinationes ss. ordinum, juxta Trid. (Sess. 23. de ref. c. 8), habendae sunt publice et in cathedrali ecclesia. Attamen hoc. Trid. decretum ita temperavit usus ut ordinationes particulares semper, ordinationes vero generales justa de causa haberri possint etiam in alia ecclesia publica. (Gasp. n. 100)

3º Consecratio episcopalis, juxta Trid. (l. c. c. 2), si extra curiam Romanam fiat, in ecclesia ad quam episcopus residentialis promotus fuerit aut in provincia, si commode fieri poterit, celebranda est. Practice etiam alibi celebratur, quia in ipsa Bulla promotionis concedi solet facultas accipiendo consecrationem ab antistite quem elegerit promotus.

**VIII.** Minister ordinationis regulariter tenetur absolutam intentionem habere conferendi ordines eis quibus manus imponit et consueta instrumenta porrigit : ne cum gravissimis incommodis dubia de valore ordinum collatorum multiplicentur. Quare cum episcopus, juxta Pont. Rom., vetat ne quis ad ordines suscipiendos accedat canonico impedimento irretitus, haec mera prohibitio censenda est, minime vero putandus est episcopus nolle eos, qui cum tali impedimento accederent, ordinare. (Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 11)

### CAPUT. III.

#### DE SUBJECTO ORDINIS.

**435. I.** Subjectum **validae** ordinationis est omnis et solus mas baptizatus, ut praesertim ex perpetua Ecclesiae traditione elucet. Valide igitur ordinantur infantes, perpetuo amentes, naturaliter inhabiles ad susceptos ordines exercendos, etc. Feminae vero, ex ipso jure divino, incapaces sunt ordinum qui sunt divinae institutionis ; ceterorum vero, ex Ecclesiae perpetua voluntate. De intentione saltem habituali quae ad validam ordinum receptionem in adultis requiritur, dictum est n. 125).

Ad licitam ordinum susceptionem multa in subjecto requiruntur : quorum praecipua hic breviter recensebimus. Jam supra (n. 24 seqq.) dictum est quatenus divina vocatio ad ordines, praesertim majores, suscipiendos sit necessaria. Actum quoque est de statu gratiae ad licitam sacramenti vivorum, qualis est ordo, susceptionem. (n. 128)

Adverte tamen hanc gravem obligationem non probari de ordinibus qui verius sacramenta non sunt, nisi ordinatus communicare velit : ad quod sub gravi non tenentur nisi presbyteri, quia cum episcopo concelebrant. (S. Alph. n. 801) In tr. de Censuris et Irregularitatibus explicabitur quatenus immunitas ab istis impedimentis in ordinando requiratur.

Ut Ecclesiae constet ordinandos requisitis dotibus instructos esse, haec statuit Trid. (Sess. 23. de ref. c. 5) : " Ad minores ordines promovendi, bonum a parocho et a magistro scholae in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero qui ad singulos maiores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum qui volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita, a fide dignis diligenter inquirat ; et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quamprimum transmittat. " Ex his verbis patet praedictas publicationes iterandas esse ante singulorum ss. ordinum susceptionem : quamquam in quibusdam dioecesibus, semel vel bis omitti solent, praesertim ante diaconatus susceptionem. Ab earum obligatione eximuntur non solum Regulares, sed etiam religiosi cum votis simplicibus ad congregationem a Sede Apostolica approbatam pertinentes : his enim omnibus satis provisum est tum informationibus ante habitus susceptionem (n. 80), tum Superiorum vigilantia. (Gasp. de s. Ord. n. 701) A quonam autem parocho istae publicationes facienda sint, episcopi prudentiae reliquitur, cum a Trid. non determinetur. In iisdem inculcanda est obligatio denuntiandi parocho vel curiae episcopali impedimenta quae aliquem e candidatis a s. ordine removeant. Quatenus ista obligatio singulos fideles afficiat, facile colliges ex iis quae dicemus n. 452 seqq. de obligatione revelandi impedimenta matrimonii.

**II.** Qui prima tonsura initiandus et, a fortiori, qui ordinandus est, **sacramento confirmationis** unctionis esse debet. (Trid. Sess. 23. de ref. c. 4) Id tamen, ex communi sententia (S. Alph. n. 786), sub veniali tantum praecipitur : quia levis inordinatio in defectu confirmationis appetet.

**III. Aetas** pro singulis ordinibus requisita haec est :

1º Pro tonsura et ordinibus minoribus, saltem septennium completum. (Pont. Rom.)

2º Pro subdiaconatu annus aetatis vicesimus primus, pro diaconatu vicesimus secundus, pro presbyteratu vicesimus quartus completus. (Trid. l. c. c. 8) Hodie solet episcopis communicari a S. Sede facultas dispensandi super defectu unius anni, sed tantum ad sacerdotium susci-

piendum, ut declaravit S. Inqu. 21 Jan. 1734. (Coll. P. F. n. 1173) Ipsa S. Sedes in aetate numquam dispensat pro subdiaconatu, raro pro diaconatu; pro sacerdotio sat cerebro etiam super defectu unius anni cum dimidio. (Gasp. n. 493)

3º Pro consecratione episcopali requiritur annus aetatis trigesimus completus. (Decr. l. 1. t. 6. c. 7)

**436. IV.** Initiandus ordine superiori debet esse **omnibus ordinibus inferioribus** et prima tonsura initiatus. Cfr. Decr. l. 5. t. 29. *De clero per saltum promoto*. Qui scienter *per saltum* promoveretur, graviter peccaret et ordinem praetermissum suscipere deberet, antequam in superiore ministraret. (S. Alph. n. 793)

Hic autem adverte probabilius nullum peccatum per se committi ab eo qui ordinem aliquem suscipiat sine animo ascendendi ad superiores: nam, ex rei natura, nihil obstat quominus quis perpetuo in ordine inferiori maneat, secundum veterem Ecclesiae morem, neque ulla recentior lex statuit ut quilibet *inferiores* clericorum ad maiores ordines ascenderent. (Ball. P. n. 74) Pariter nullo jure requiritur ut qui minores ordines suscepit, perpetuo in *statu* clericali permaneat: quare per se non peccat qui illos suscepit, *dubitans* num postea ad saeculum redditurus sit, vel qui, iisdem **ordinibus** auctus, uxorem ducit. (S. Alph. n. 785; Ball. P. n. 77)

**V.** Inter ordines suscipiendos quaedam servanda sunt **interstitia**:  
1º Ex praescripto Trid. (Sess. 23. de ref. c. 11), aliqua interstitia intersingulos ordines minores **observanda** sunt. Quanta autem haec esse debeant, ab episcopi arbitrio pendet, cum nihil jure communi determinetur. Insuper multis in locis viget consuetudo quattuor ordines minores simul conferendi. (Ball. P. n. 51) Neque inter tonsuram et ostiariatum ulla lex universalis *intervallum* elabi jubet.

2º Inter acolythatum et **subdiaconatum**, pariter inter subdiaconatum et diaconatum, tandem **inter** diaconatum et presbyteratum, unius anni *intervallum* esse jubet Trid. (l. c. cc. 11, 13, 14) Idem Concilium episcopo agnoscit facultatem in hac lege dispensandi, cum hoc tamen discrimine quod ad dispensandum ab interstitiis inter acolythatum et subdiaconatum, necnon **inter** diaconatum et presbyteratum, tamquam causam, requirit ecclesiae **necessitatem** aut utilitatem; dispensationem vero ab intersticio inter **subdiaconatum** et diaconatum permittit *si episcopo videatur*, ideoque **ob** quamlibet justam causam, puta studiorum, valetudinis, specialis meriti.

3º Prohibet Trid. (l. c. c. 13) ne "duo sacri ordines eodem die etiam Regularibus conferantur." Ideo id illicitum est etiam haben-

tibus privilegium ordinandi extra tempora et non servatis interstitiis; licet tantum ei cui expresse dispensatio in hac lege concessa fuerit. Insuper praxi receptae et responsis S. C. C. contrarium est ut subdiaconatus una cum minoribus ordinibus conferatur (1); idem tamen licitum videtur ubi viget consuetudo. (Schmalzgr. in l. 1. Decr. t. 11. n. 15)

**437. VI.** Ordinandi congrua **scientia** instructi sint oportet. Scilicet:  
1º Nemo tonsura initiandus est qui fidei rudimenta edoctus non fuerit, quique legere et scribere nesciat. (Trid. l. c. c. 4)

2º Minores ordines suscepturi debent saltem linguam latinam intelligere. (Trid. l. c. c. 13) Probabiliter autem sufficit certa spes ut brevi eam addiscant. (S. Alph. n. 790)

3º Ad subdiaconatum et diaconatum suscipiendum oportet ut candidati sint litteris, et iis quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi. (Trid. l. c. c. 13)

4º Jubet Trid. (l. c. c. 14) ut ad sacerdotium non assumantur, nisi qui "ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem ac ad ministranda sacramenta, diligenter examine praecedente, idonei comprobentur." Hinc ordinandus in presbyterum scire debet non tantum ea quae ad Missam celebrandam requiruntur, sed quaecumque necessaria sunt ad ministranda ea sacramenta quae unusquisque presbyter, occurrente necessitate, conferre debet, vid. baptismum, extremam unctionem, Eucharistiam et poenitentiam; nullatenus tamen habere debet tantam scientiam, quanta in confessario approbato necessario est. (S. Alph. n. 791)

Juxta communem sententiam (S. Alph. l. c.), minor scientia requiritur in Regularibus qui, ob vitam mere contemplativam, ut Carthusiani, vix possint incidere in ea adjuncta quibus obligentur ad praedicta sacramenta ministranda. Sed jam observandum est ubique locorum decretum S. C. Ep. et Reg. 4 Nov. 1892 (Act. S. S. t. 25. p. 312 seqq.), quo statuitur ut: "Professi tum votorum sollemnium, tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad ss. ordines non admittantur, nisi, praeter alia a Jure statuta, testimoniales litteras exhibeant quod, saltem per annum, s. Theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemiso tamen regulari aliorum studiorum curriculo." Adverte

(1) A multis dicitur id esse prohibitum l. 5. Decr. c. 2. t. 30. *De eo qui furtive ordinem suscepit*. Sed nihil ex hoc textu erui potest quoad eum qui non *furtive* (ut in casu de quo cit. cap. agit), sed sciente episcopo et cum dispensatione ab interstitiis ordinatur.

ibi nihil statui de profectu quem in iisdem studiis fecerint, nec requiri ut theologicis scholis interfuerint, sed tantum ut scientiae theologicae operam dederint, seu quasi praecipuo labori suo addicti fuerint; tandem annos istos intellegi posse scholares, ac proinde nullum rigorem mathematicum in iis complendis requiri.

5º De idonea scientia ordinandi, sicut de ceteris dotibus in eo requisitis, episcopus inquirere debet examine, sive per se, sive per alium instituendo. (Trid. l. c. 7) Excipit tamen merito S. Alph. (n. 792): nisi aliunde sit certus de ipsorum idoneitate per propriam notitiam, vel per communem opinionem.

**438. VII.** Ordinem sacrum suscepturi **titulum legitimum** habere debent. Tituli autem nomine hic venit ratio qua congruae ordinati sustentationi providetur. Nam "cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere" (Trid. Sess. 21. de ref. c. 2), Ecclesia ab antiquissimis temporibus hanc regulam servavit ut nullus ss. ordinibus initiatetur, cuius congruae sustentationi non esset provisum. Quaenam autem disciplina hodie vigeat de hoc argumento canonico potius quam morali, breviter explicabimus.

Titulus praecipuus pro saecularibus, et qui majorem conformitatem cum lege canonica gerit, est **titulus beneficii**. Hic in eo situs est quod clericus beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidet. (Trid. l. c.)

*Titulos patrimonii* vel *pensionis* eatenus tantum admittit Trid. (l. c.), quatenus sinit episcopum cum eorum alterutro ordinare eos quos judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiae suae; insuper statuit ut prius episcopo constet patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint.

Pro Regularibus vero titulus ordinationis dicitur *paupertatis* seu *professionis religiosae*: quippe quae eis jus tribuit ut e bonis monasterii sui vel e consuetis fidelium eleemosynis monasterio tribuendis vivant. Is tamen titulus solis votorum sollemnium professis suffragatur (1), nisi speciale privilegium concessum sit, ut contigit pro votorum simplicium professis in Soc. Jesu. (Gregor. XIV, Const. Ecclesiae catholicae, 28 Jun. 1591) Hunc imitatur titulus *mensae communis*, qui per specialem favorem tantum competit nonnullis simplicium votorum religiosis, aliisve clericis communem vitam agentibus.

(1) Id cum quidam nuper in dubium vocassent, iterum edixit S. C. Ep. et Reg. 9 Febr. 1894. (Act. S. S. t. 26. p. 616)

Sunt et alii tituli qui hodie admittuntur ad supplendum titulis beneficii, patrimonii vel pensionis, qui saepe in ordinatione saecularium desiderantur. Illi tamen pro iis tantum ordinandis adhiberi possunt, qui speciale privilegium a S. Sede obtinuerint. Inter illos usitatissimus est *titulus Missionis*: de quo utilem Instructionem dedit S. C. de Prop. Fide. (Coll. P. F. n. 1179) Nemo vi hujus tituli ordinari potest nisi qui animum habeat proficisciendi ad loca Missionum, quamprimum Superioris jussent: immo prius juramentum emittere debet quo spondeat se Missioni, cui destinatus est vel destinabitur, fore perpetuam operam daturum. Pro Anglia tamen et Stat. Foed. Amer., 18 Aug. et 30 Nov. 1885 (Coll. P. F. n. 118 seq.), declaravit S. C. de Prop. Fide juramentum istud jam non obligare pro aliqua dioecesi tantum, sed pro tota provincia ecclesiastica: ita ut presbyteri sic ordinati, sola collatione novi tituli, transferri in aliam dioecesim possint de consensu utriusque Ordinarii, quin necessarium sit ut ipsi novum juramentum emittant. Ii vero sacerdotes qui ante hanc dispositionem ordinati, juramentum ad unam dioecesim restrictum emiserint, pariter ad aliam ejusdem provinciae dioecesim transire permittuntur, sed novo emissso juramento.

In multis regionibus catholicis, ut in Belgio et Gallia, cum ob mutata temporum adjuncta, lex de canonico titulo in suo rigore servari nequeat, episcopi ad dispensationem S. Sedis recurrent (1) vel, quantum fieri potest, aliis cautionibus congruae clericorum sustentationi provident. Videsis Craisson, Man. J. C. n. 2010, et Act. S. S. t. 4. App. 14. Quandoque etiam, ut in Germania (Aichner, Comp. Jur. Eccl. § 68), ex consuetudine tolerantur quidam tituli qui nonnisi imperfekte finem ab Ecclesia in hac lege intentum assequuntur.

**439. VIII.** *Litteras testimoniales* de vita et moribus, seu de absentia cuiuslibet canonici impedimenti, afferre debent quicumque *saeculares* ordinantur ab episcopo beneficii, postquam ab episcopo originis vel domicilii ad clericalem tonsuram vel etiam ad minores ordines promoti fuerint. Idem dicendum de iis qui ordinentur quidem ab episcopo proprio, sed tantam moram fecerint in aliena dioecesi ut ibi potue-

(1) In archid. Mechlin., vi indulti S. C. C. 26 Martii 1898, haec statuit Em. Archiep. 26 Apr. 1898: 1º Titulo patrimoniali ad sacros ordines promovebuntur clericci qui ex bonis stabilibus et frugiferis redditum annum 600 fr. habent. — 2º Qui saltem medietatem seu 300 fr. redditum possident, eodem titulo promovebuntur cum dispensatione super altera medietate. Summam tamen centum fr. semel solvent. — 3º Qui autem nec medietatem hanc possident, ex dispensatione ordinabuntur absque titulo, et solvent semel summam ducentorum francorum. Ex pecuniis supradictis conflabitur *Aerarium Cleri* ex quo, casu dato, haurietur ad subveniendum necessitatibus clericorum indigentium.

rint canonicum impedimentum contrahere. (Innoc. XII, Const. *Speculatores*, 4 Nov. 1694) Haec autem moralis possiblitas probabilius adest, quotiens candidatus mansit *per sex menses* in aliena dioecesi, postquam septennium complevit. (Gasp. op. cit. n. 731) Sic, ut decrevit S. C. C. 11 Jul. 1840, clerici qui in aliquo seminario studuerunt, ab episcopo quidem proprio ordinandi sunt, sed ad eum afferre debent testimoniales ab episcopo loci in quo situm est seminariu. Nec sufficere litteras moderatoris seminarii, respondit S. C. C. 14 Jul. 1894. (Act. S. S. t. 27. p. 162) Si candidatus in aliena dioecesi servitio militari addictus fuit, juxta resp. S. C. C. 9 Sept. 1893 et 26 Jan. 1895, requiruntur testimoniales Ordinarii in cuius dioecesi per *trimestre* spatium commoratus fuerit, et, si hujus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, episcopus proprius, obtenta ad hoc facultate a S. Sede, provideat per juramentum suppletorium. (N. R. Th. t. 26. p. 12 et t. 27. p. 364)

*Regularibus* ordinandis sufficiunt litterae dimissoriae Superioris sui, in quibus idem simul testetur absentiam cuiuslibet impedimenti canonici, quo cumque medio Superior ad eam cognitionem pervenerit. (Gasp. op. cit. n. 74)

**IX.** Ex praescripto Pontif. Rom. injungi solent ab episcopo ordinatis in diaconos vel subdiaconos quaedam preces dicendae, ordinatis in presbyteros quaedam Missae celebranda, puta de Spiritu Sancto, de B. M. V. et pro defunctis. Probabile est, juxta S. Alph. (n. 829), hanc obligationem non esse sub peccato, sed merae decentiae. Quodsi episcopus recitandum injungit *Nocturnum talis diei*, id intellegendum est de Nocturno feriali cum suis antiphonis et lectionibus, aut, si ordinatio die Dominica facta sit, de primo Nocturno Dominicæ. (S. C. R. 11 Aug. 1860) Missas vero praescriptas sufficit dicere primo die quo juxta Rubricas licet; nec quidquam obstat quominus pro iis stipendum accipiatur.

## TRACTATUS XVIII.

### DE MATRIMONIO.

#### CAPUT I.

##### DE SPONSALIBUS.

###### § 1. DE SPONSALIUM NATURA.

**440. DEFINITIO.** Sponsalia sunt promissio deliberata et mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas habiles. Nempe :

1º *Promissio*, quae probe secernenda est a mero proposito ineundi matrimonii quod enuntietur absque intentione sibi novam obligationem imponendi. (Vol. I. n. 606) Sic, nisi circumstantiae contrarium suadeant, merum propositum enuntiant haec verba : *Volo te in uxorem ducere*.

2º *Deliberata*, seu cum perfecta cognitione et consensu facta : secus enim non esset actus plene deliberatus, qui solus potest ortum dare gravi obligationi in contractibus. (Vol. I. n. 586) Hinc communiter dicitur requiri deliberationem sufficientem ad mortaliter peccandum. Inde tamen concludendum non est capacem esse ineundi contractum sponsalitum quicumque mortaliter peccare possit : nam facilius percipitur malitia violationis praeepti in praesenti quam onus gravis obligationis in futurum, quae per sponsalia assumitur. (S. Th. Suppl. q. 43. a. 2) Cfr. Vol. I. n. 312. Quare regulariter ad sponsalia ineunda requiritur et sufficit septennium completum ; irrita vero sunt sponsalia a parentibus contracta pro infantibus suis (ut mos habet in quibusdam regionibus ethnicis), etiamsi altera pars jam sit adulta.

3º *Mutua*, scil. non sufficit ut promissio ab una parte facta ab altera acceptetur, sed necesse est ut haec quoque repromittat. Quodsi haec